



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina  
Ecclesiae Oeconomia**

**Bonald, François**

**Coloniae, 1611**

XXI. De iustitia infusa, & fructibus quos profert.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

eam exercendi; Virtus enim virtutum  
 est, & omnium Regina, neque tantum  
 bonum facit, verum etiam quomodo  
 faciendum sit docet. Memori itaque  
 mente hoc singulare Dei beneficium  
 recolamus, eoque iuxta regulas, &  
*Matt. 10.* monita utamur, ut simus *prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae*,  
 uti Saluator nos monuit; Serpentes enim,  
 ut caput tueantur, reliquum corpus  
 plagæ exponunt: columbæ autem  
 simulatione nullum decipiunt; nos  
 utrumque in utrisque imitemur, candidè  
 & absque fuce omnia agamus, & pro  
 rebus pretiosis vilia quæque abijciamus,  
 animam corpori, coelum terræ  
 præferamus.

CAPVT VIGESIMVM  
 PRIMVM.

*De Iustitia infusa, & fructibus  
 quos profert.*

*D. Tb. 2. 2. q. 80.* Sicuti paucis descriptionem Prudentiæ  
 expediuimus, ita similiter Iustitiam,  
 cæterasque virtutes morales pertractabimus.  
 Nota itaque nomine Iustitiæ

fitiæ aliquando intelligi aggregatio-  
 nem quandam omnium virtutū, qua-  
 tenus actu, vel habitu voluntatem suæ  
 regulæ, quæ est lex diuina, conformât;  
 de hac Iustitia loquitur Scriptura cū  
 ait, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiã;*  
 & eodem sensu accipit hanc vocem  
 Chrysof. cum ait, Iustitiam nihil ali-  
 ud esse, quam plenam mandatorum  
 obseruationem.

*Matth. 5.*

*Chryf. ho.  
12. in Mat.*

Verum de hac generali iustitia,  
 modo non agimus, sed de speciali, quæ  
 ex doctrinis variorum, ita licet desc-  
 bere, vt sit, Virtus volūtatem inclinās,  
 vt seruata proportione suum vnicui-  
 que tribuat. Huius duæ sunt species,  
 Distributiua vna, commutatiua alte-  
 ra; hæc in commutationibus, in distri-  
 butionibus illa versatur: Distributiua  
 enim, tam onera, quam subsidia; tam  
 officia, quam beneficia, siue secularia  
 sint, siue Ecclesiastica secundum vni-  
 uscuiusque virtutem & meritum, sine  
 vlla personarum acceptione, partitur.  
 Commutatiua autem eas actiones,  
 quibus nobis mutuo necessaria com-  
 municamus, dirigit ac moderatur;  
 quales sunt contractus Emptionis,

*Ambr. l. 1.*

*offic. c. 24.*

*August. l.*

*19. de ci-*

*uit. c. 21.*

*D. Th. 2.*

*2. q. 61. a.*

*1. & seq.*

Venditionis, Locutionis, inutui, & similia; agitque ut parti læsæ satisfiat, siue in persona, siue in honore, siue in bonis restitutio facienda sit; idque tam via Iudicij, quam extra illud.

*Multa mala vitat Iustitia.*

Ex quibus facile colligas, quæ comoda humano generi hæc virtus afferat, quæ incōmoda propellat; suum, n. cuiq; tribuens latrocinij, furtis, concussionibus, sacrilegijs, homicidijs viã præscindit; murmuraciones, detractiões, & alia infinita mala excludit; atque ita pacẽ & quietẽ inter homines cōseruat, adeò ut nihil magis optadũ sit, quã virtutẽ hanc in quouis regno regnare; nã ut inquit Augustinus, *Remota iustitia quid sunt regna, nisi magna latrocinia*: In eiusmodi enim regnis potentiores infirmos opprimunt, & æquales in se mutuò colliduntur, ac corruunt: Vbi verò Iustitia locum habet, vnusquisque sua sorte contentus, proximum suum benè partis in pace frui permittit; hanc enim felicitatem aliquando per Prophetam promissit Deus in via Domini ambulãtibus, dicens, *Et sedebit vir subtus vitẽ suam, & subius*

*Aug. l. 4. de ciuit. c. 4.*

*Mich. 4.*

*subius*

subtus ficum suam, & non erit, qui deter-  
reat, Et concident gladios suos in vomer-  
es, & hastas suas in ligones. Simul enim  
vadunt, & amicæ sunt Iustitia & Pax, *psal. 84.*  
nam vt David canit, Iustitia & Pax o-  
sculatae sunt.

Atq; hæc de duabus præcipuis spe-  
ciebus Iustitiæ, earumque officijs, &  
effectibus. Quod autem virtutes ei cõ-  
iunctas spectat, prima & præcipua est  
Religio, quæ iuxta Augustin. nos ad  
debitum Deo creatori nostro cultum,  
& reuerentiam exhibendum incli-  
nat: Hanc sequitur Pietas, qua paren-  
tes tanquam principium vitæ nostræ  
honoramus, & Patriæ tanquam vitæ  
nostræ conseruatrici deseruimus. Post  
quam venit Obseruantia, qua omnes  
nobis maiores ratione ætatis, seu dig-  
nitatis colimus, & aliquo honore di-  
gnamur: & Obedientia, qua superio-  
rum mandata implemus. Et hæc princi-  
pales Iustitiæ pedissequæ sunt, vt  
minus præcipuæ famulæ, eã sequuntur,  
Gratitudo, qua collata nobis beneficia  
agnoscimus. Veritas, qua os cordi, vt  
cor ori conformamus. Stabilitas, qua  
suaué affabilitatē, sine adulatione, aut

De virtu-  
tibus Iusti-  
tiæ adiun-  
ctis.

August. l.  
83. quæst.  
9. 31.

diffi-

disimulatione conseruatus. Liberalitas, qua tempore necessitatis bona corporalia elargimur. Aequitas, qua iure nostro contenti à rigore abstinemus. Aspicite nunc pulcherrimum iustitiæ comitatum, & quantam virtutis caudam æquissimam trahat; videte pulcherrimos adus, quos exercet: fædissima vitia, quæ extirpat. Hæc est secunda virtus moralis, quam Deus vna cum charitate hominibus donauit, vt vnicuique suum tribuant, honores & onera, premia & pœnas secundum cuiusque meritum aut demeritum distribuunt. Quod autem omnium temporum Christiani hac virtute excelluerint, facili inductione per singulas generationes discurrendo probari posset: sed quia hoc longum esset, quædam generalia solummodo attingam.

Quod itaque ad iustitiam distributionem attinet, reperimus Apostolos in primitiua Ecclesia, si quando aliquis eligendus, & ad aliquod officium deputandus esset, Deo negotium precibus commendasse, ac personas omni virtute præditas elegisse: Atque ita elegerunt

legerunt Matthiam, Stephanum, aliosque viros pios, & ad officia ad quæ assumebantur idoneos. Si de bonorum distributione quæstionem moueas, respondebit Scriptura, *Diuidebant illa omnibus prout cuique opus erat.*

Actor. 1, 6.  
13.

Actor. 2.

Quod autem ad iustitiam commutativam spectat tantum abest, ut aliquem in vlllo commercio fraudarint, ut potius eorum aliqui, & bona & statum, quæ fraudandi alium occasionem præbebant, deseruerint, ut Matchæus: *Neque suffecerit ijs iniuste ablata præcise restituisse, sed in quadruplum reddenda duxerint, ut Zachæus; Imò in commune contulerint quicquid possidebant, ut primi Christiani; aut maximas eleemosynas egentibus miserint, ut ex Apostolorum Actis à S. Luca conscriptis; & quibusdam S. Pauli epistolis patet.*

Matth. 9.

Luc. 19.

Religionem autem, quam diximus esse primam iustitiæ comitem, ad eò coluerunt, ut sæpius templum orandi causa frequentarent, ædes suas diuino cultui dedicarent, & quod magis est, corpus & vitam pro Christi honore, & testimonio fidei, mortis periculo expo-

Pietas  
priorum  
Christian.

expo-

exponerent, ac deuouerent: Quã eorũ  
 deuotionẽ pauculis verbis expressit S.  
 Lucas cũ ait, *Erant perseverantes in do-  
 ctina Apostolorũ & cõmunicatione, fra-  
 ctionis panis & orationib⁹*: Et quis de eo-  
 rũ erga parẽtes pietate dubitabit, cum  
 tantã liberalitatem indigentibus ex-  
 traneis exhibuerint? Quid de obedi-  
 tia, & subiectione eorum sub autori-  
 tate Superiorum dicam? didicerant à  
 Christo *reddere Casari, q̃ casaris sunt*; &  
 ab Apostolo, *Obedite prepositis vestris*  
 & eius meminerant, quod alibi dicit,  
*Obedite Dominis vestris &, Cui tributum  
 tributum, cui honorem honorem*; quod  
 ipsum omnibus etiam ethnicis & pa-  
 ganis ipso opere præstabant. Idẽ fece-  
 rūt Christiani, qui sequenti sæculo post  
 primos vixerunt, vt ex historijs & an-  
 nalibus Ecclesiasticis patet: Idem etiã  
 nũc faciũt Christiani, qui modo viuũt,  
 virtuosi scilicet & boni, quorum vitã  
 & conuersationẽ inspice, & cũ Iudeo-  
 rũ, Gentilium, & Ethnicorum confer-  
 mendax audire velim, nisi Christia-  
 norum omni genere iustitiã, & æqui-  
 tatis collucentem; hæreticorum verò  
 & infidelium, iniustitia atque iniqui-  
 tate

*Matt. 22.*

*Hebr. 13.*

*Rom. 10.*

*Etiã in  
 vita mo-  
 dernorum  
 Christian.  
 relucet Pi-  
 etas.*



tate obscuratam deprehenderis. Si dicas, quosdam Gentilium exterioribus factis ostendere se Iustitiam cordibus suis impressam gerere: Respondebo, iustitiam illam, aut fictam esse, aut saltem humanitus acquisitam, cum Christianorum Iustitia vera sit, infusa, atque diuina, ideoque ipsos solos concernit, quod de iustis Psalmista canit, dicens, *Iustus ut palma florebit: sicut Cedrus libani multiplicabitur.* Et cum idem Dominum rogaret, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Respondit Deus, *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam; qui loquitur veritatem in corde suo, & non egit in lingua sua dolus: Qui iurat proximo suo, & non decipit, qui pecuniam suam non debet ad usuram, & munera super innocentem non accepit. Qui facit haec non mouebitur in aeternam.* Ideoque ait Ecclesiastes, *Vsq; ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnauit te inimicos tuos.* Deus. n. vt docet S. Bernardus habitat in anima iusta, cum ait, *Beata est sedes sapientiae: quae illa anima utique iusti merito plane, quia iustitia & iudicium preparatio sedis eius.* Qui autem hostes reperiri possent, quos aeterna Sapien-

Psalm. 92.

Psalm. 14.

Eccle. 4.

Bern. Ser. 3. de Advent.

Sapien.

Sapientia prostrernere nequiret? imò ad nihilum redigeret? O felicem ergò Christianum, qui iustitiæ virtute decoraris, eamque quam potes diligentissime exerces! Qui rapinis vivit, inquit Chrysoft. seque per fas & nefas ditat, magnumque facit, brevi tempore de magnificentia sua & diuitijs excidet; ille verò qui seruat iustitiam, in dignitatibus fundabitur, & diuitiæ ei multiplicabuntur; & hoc est quod Sapiens voluit significare cum dixit, *Iustitia exaltat gentem. & Iustitia firmatur solium.* Item, *Melius est parum cum iustitia quam multi fructus cum iniquitate.* Item Psalm. *Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas;* Nam iniusta præda decrescit & evanescit. Quod impijs libuerit faciant, nos Deum pro gratiæ suæ abundantia ac perfecta iustitia deprecemur; obtentam autem diligenter exerceamus: Reddamus Deo quod ipse est, & proximo, quod ei debemus: Cum autem Personarum acceptio, respectus humanus, Avaritia, & Ambitio frequenter Iustitiam euertant, diligenter caueamus ne his malis inuoluamur;

Chryf. ho.  
15. in Mat.  
the.

Prox. 4.  
15. & 16.

Psalm. 36.

Iustitia in  
Iustitiæ oppo  
sita fugiē  
la.

uamur; idque eo diligentius, quo vitia hæc maiori periculo subiacent & difficilius expiantur: Si enim Dominus per Dauidem dicat. *Ego iustitias iudicabo*, id est, quæ iusta videbantur, & non erant discutiam; quanto magis ea, quæ manifeste iniusta sunt, castigabo? idque non hic solum, sed maximè in futura vita. Quotidiana exempla, & præteritorum gesta sufficienter id testantur: Achab Rex Israel nescio qua misericordia motus Benadab Regi Syriæ vitam donarat, quem tamen ut populi Israelitici iuratum hostem, è medio tollere debuisset, ideoque à Deo per Prophetam audire meruit, *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius.* Quod ei post tertium annum euenit, nam mutato habitu prælium ingressus, incerto ictu à militibus Regis Syriæ sagitta percussus interijt. Absalon filius David paternū regnum affectans impia contra parentem arma arripuit; sed Deus eum capillitio suo ex quercu subtus quam transibat suspensum, tribus lanceis perforari voluit. Iesabel, eo quod vineam Naboth viro suo

Psalm. 74

3. Reg. 20.

2. Reg. 18.

3. Reg. 21.

tanto-

tantopere desideratam, prodito ad  
 4. Reg. 9. mortem innocente Naboth, tradidit-  
 set, per fenestram in plateas eiecta, à  
 Num. 16. canibus comesta fuit. Core, Dathan &  
 Abyron Moyfi obmur murantes, ei &  
 Aaroni detrahebant, & terra os suum  
 aperiens viuos deglutiuit: maxima si-  
 milium exemplorum copia in anti-  
 quis historijs reperitur, & ijsdem re-  
 centiores Annales pleni sunt; ex qui-  
 bus euidenter colligere licet, quam  
 periculosum fit iniustitiam commit-  
 tere, maximè cum difficillimum sit se  
 ab eiusmodi peccatis expedire; & ab-  
 solutionem obtinere: Neque enim in  
 his satis est, quod in plurimis alijs  
 peccatis sufficit, dolere quod alteri in  
 honore, aut bonis detrimentum fece-  
 ris; sed insuper oportet satisfacere,  
 aut restituere, Nam vt inquit S. Aug.  
*Non dimittitur peccatū, nisi restituatur  
 ablatū.* Quā aut difficilè sit, & molestū,  
 si alterius honori verbis detraxeris,  
 eadē retractare; si bona abstuleris, re-  
 stituere; si iniuriā intuleris, satisface-  
 re; nā aut pudor, aut auaritia, aut mera  
 ambitio te ab his diuertūt: mille mo-  
 dos, quib. te defendas, & à satisfactio-  
 ne ex-

ne ex-

ne excuses, excogitant, ac inde tibi mi-  
sero æternam dānationem accersunt. *Conclusio.*

Sapienter itaque illi facient, qui omni humano affectu seposito, auaritia, & ambitione expulsis, omnia officia & beneficia, curas & subsidia, secundum vniuscuius meritū & possēdistribuant, & iustitiam administrantes æqua lance pauperum ac diuitum causas diiudicant: Sapientes etiam illi, qui in omni negotio & commercio, dolo malo, & omni fraude seclusis, æqualitatem rei ad rem quam proximè seruant; nam conscientiam suā paucioribus difficultatibus intricabunt, & seipso ad salutem æternam consequendam magis dispositos inuenient. Ob hos enim fines Deus habitū iustitia nobis contulit, *Apparuit Ad Tit. 2.*  
*enim gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè & iustè, & piè viuamus in hoc saculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloria magni Dei. Frequentemus itaque actus iustitiæ, & potius bonis, ac honoribus, imò vitæ renunciemus, quam eam in minimo violemus.*

CA.